4

PLVTARCHI CHAERONEI DISCEPTATIO NVM RECTE DICTVM SIT λάθε βιώσας, ID EST, SIC VIVE, VT NEMO TE SENTIAT VIXISSE.

NVM RECTE DICTVM SIT λάθε βιώσας, ID EST, SIC VIVE, VT NEMO TE SENTIAT VIXISSE.

T ne ille quidē ipſe, qui hoc dixit, latere uoluit, quandoquidem hoc ipſum ideo dixit, ne eſſet ignotus, ſed uideretur aliquid ſupra uulgus ſapere, adhortando ad gloriæ contemptum immeritam ſibi parans gloriam. Sapientem ego odi, qui ſibiipſi non ſapit. Narrāt.n. Philoxenum Eryxidis filiū & Gnathonē Siculū, obſonatores nobiles, naſi mucum emungere ſolitos in catinum, quo reliquis conuiuis deterritis, ipſi ſoli cibis appoſitis explerentur. Sed qui immodice ſunt auidi gloriæ, aliis ad ſatietatem usq; damnant gloriam, ueluti riualibus, ut ea citra æmulum potiātur, ideq; faciunt quod remiges ſolent. Etenim quēadmodum ad puppim ſpectantes, proræ tamen impetum adiuuant, ut undequoq; repercuſſus cymbam arreptam impellat, ita qui præcepta huiuſmodi prodiderunt, gloriam uelut auerſi ſectātur, alioqui quorſum attinebat hoc dicere, quorſum autem ſcribere, ſcriptū edere, ac poſteris tradere? An ſuæ ætatis homines latere uoluit, qui ne poſteris quidem uoluit ignotus eſſe? Quin illud ipſum nonne malum eſt, ſic uiue, ut nemo ſentiat te uixiſſe, perinde quaſi ſuffoſſis ſepulchris? An hoc ipſum uiuere turpe eſt, ut omnibus cōueniat eſſe ignotū? Ego uero dixerim, ne male quidem uiuens latere uelis, ſed eſto notus, reſipiſce, pœniteat, ſiue uirtute prędítus

a

es,ne fias inutilis,ſiue malus es,ne maneas incuratus.Immo diſtingue ac diſcerne, cuinā iſtud præcipias, ſi indocto, malo, ac ſtulto, perinde eſt ac ſi dicas, nemo te ſciat febricitari, nemo te ſciat teneri phreneſi,ne te nouerit medicus, abi,coniice te aliquo in tenebras ignotus una cum tuis malis. Et tu abi cum tuo uitio, morbo laborans immedicabili ac pernicioſo, occultans inuidiā, ac ſuperſtitionem,ueritus ceu pulſum quendam exhibere his qui monere poſſunt, ac mederi. At priſci illi mortales ægrotos palam curabant, eorū unuſquiſq; ſiquid habuiſſet conducibile,quod uel ipſe ægrotans, uel alterum curans cōperiſſet,conſulebat ei cui opus erat. Atq; ita ferunt artem experimentis natam in maius auctam eſſe. Verum illud etiam oportebat, morbidam uitam, animiq; morbos omnibus retegere, ut qui tetigiſſet, & affectus perſpexiſſet, poſſet dicere,iraſceris,hoc caueto. Zelotypus es,hoc facito. Amas, & ego quondā amaui, uerum pœnituit. Nunc contra negant,occultant, contrahunt, alteq; in ſemetipſis animi peſtem recondunt. Iam ſi bonis præcipis ut lateant, & ignorentur,dicis igitur Epaminundæ,Ne fueris dux exercitus, Lycurgo,ne leges condideris, Thraſybulo, ne peremeris tyrannos, Pythagoræ, ne doceto, Socrati,ne diſputato, ac tibi ipſi ī primis Epicure,ne quid ſcribas amicis quos habes in Aſia,neue cōmunices cum his,qui ab Aegypto pfecti te uiſunt, ne Lampſacenis ephebis ſtipatus incedas, ne paſſim emittas libros omnibus uiris ac mulieribus ſapientiam tuam oſtentans,ne quid ordines de ſepultura. Quorſum enim pertinent menſæ cōmunes? Quorſum

ſtudioſorum & formoſorum conuentus? Quorſum tot uerſuum milia ad Metrodorum, ad Ariſtobolum, ad Chæredemum ſcripta, accurateq; compoſita, ut ne defuncti quidem ignoti ſint? an ut uirtuti præſcribas obliterationem, otium arti, ſilentiũ philoſophiæ, obliuionem beneficentiæ? Quod ſi uelut e cõuiuio lumen, ſic e uita tollis cognitionem, quo neſciãtur omnia ex uoluptate, & ad uoluptatem facere, nemo ſciat te uixiſſe. Prorſum igitur ſi quis cum iucundo ſcorto ſit uitã acturus, ſi cum Leontio conſuetudinem habiturus, ſi formoſam amplexurus, ſi ſummum bonũ in carnis titillatione poſiturus, hæc extremas deſiderant tenebras, hæc noctem, ad hæc obliuionem & ignoratione͂ præcipe. Sed ſi quis in naturalibus Deum laudet, eiuſq; iuſtitiam, ac prouidentiam, in moralibus aute͂ legem, benignitate͂, & rerum adminiſtratione͂, in adminiſtratione uero, honeſtũ, nõ utilitate͂, cur debeat huius latere uita? An ne que͂ erudiat, ne que͂ ad uirtutis imitatione͂ excitet, ne cui ſit exe͂plo ad honeſtate͂? Si Themiſtocles ignotus fuiſſet Athenienſibus, Græcia nõ expuliſſet Xerxen, ſi Romanis Camillus, non eſſet ciuitas Romana, ſi Dioni Plato, non fuiſſet liberata Sicilia. Verum queadmodũ lume͂ in cauſa eſt, ut nõ ſolũ alii aliis cõſpicui ſimus, uerum etiam utiles, ita notitia, nõ gloriã modo, uerum exercitatione͂ pariter uirtutis. Epaminondas igitur ad quadrageſimũ uſq; annũ ignotus, nihil profuit Thebanis, deinde præfectus rebus gere͂dis, & imperiũ nactus, rempublicam extinctam reſtituit, Græciam ſeruitute liberauit, uirtutem in gloria uelut i luce, ſuo te͂pore nõ otioſam pſtans. Refulgeſcit

enim quum res & usus postularit, ubi uelut æs genero/
sum tempore perspicuum redditũ declarauit animũ,
non secus atq; domũ, uelut inquit Sophocles. Quin etiã
hoĩs ingeniũ, ceu cariem & seniũ in otio cõtrahit, pro/
pter obscuritatẽ. At muta quies, uitaq; sedẽtaria in otio
semota, non corporibus modo, uerũ etiam animis mar/
corem conciliat, Non secus atq; aquæ latentes, ꝑpterea
ꝙ umbra sint opacæ, torpeãtq;, neq; ꝑfluãt, putrescũt.
Itidem eoꝝ qui in otio degunt, uita, si quid habeat usui
futuꝝ, tamẽ quia nõ ꝑmanat ad alios, nullo inde biben
te, corrũpitur & consenescit uis illa natiua. An nõ uides
instante nocte, quum corpora inerti torpore occupari,
tum animos pigra quadã inertia segnescere, cõtractãq;
& coarctatam in sese rationẽ uelut ignẽ pene extinctũ
ob inertiã ac mœrorẽ, aliquantisper cum dissipatis ima
ginibus luctari, quantula sit hominis uita, tacite signifi/
cantem? At simulatq; Sol emergens, fulgurãtia submo
uit somnia, ac uelut in unum cõmiscens, reuexit atq; ex/
citauit sua luce actus & cogitationes omniũ, quẽadmo
dũ inquit Democritus, nouo ĩ die uersantes, mutua in/
ter ipsos alacritate, ueluti subita renouatiõe denuo crea
ti, alius aliunde surgũt ad opera. Ego sane sic existimo,
hoc ipm ꝙ uiuimus, ꝙ omnino nascimur, ꝙ in hominũ
genus asciti sumus, in hoc a deo donatum esse ut inno/
tescat. Latet autem & incognitus est, in turba uniuersi,
dumq; per minuta sparsim mouetur. Verum ubi seipse
collegerit, sumpseritq; magnitudinẽ, tũ elucescit, fitq;
ex ignoto manifestus, ex obscuro cõspicuus. Neq;.n.co
gnitio uia est ad essentiã, quẽadmodũ dicunt nõnulli,

ſed eſſentia potius ad cognitioné. Neq; enim ille pro-ducit aut gignit omnia quæ naſcuntur, ſed oſtendit. Quemadmodũ nec corruptio eſt ſublatio ad non eſſe, ſed magis abductio rei diſſolutæ ad obſcuritaté. Vnde qui ſolem Apollinem eſſe credunt, ex maiorum ac priſcorum myſteriis Delium ac Pythium eundem cognominant. Cæterum eum qui diuerſæ partis eſt dominus, ſiue deus is eſt, ſiue dæmon, Aden, id eſt orcum appellant, q; mortui in locum tenebroſum & obſcurum demigremus, ad denſæ noctis, ſomniq; inertis regem. Opinor autem a ueteribus hominem quoq; ſimili de cauſa dictum eſſe phota, nimirum a luce, propterea q; omnibus uehemẽs quædã inſita ſit cupiditas & cognoſcẽdi, & innoteſcendi. Sunt autem & philoſophi nõnulli, qui ipſam animi ſubſtantiam lumen eſſe putent, quum aliis adducti coniecturis, tum hac potiſſimum, q; nihil omnium æque refugit & odit, atq; ignorantiã, & quicquid luce uacat, id refugit, eoq; perturbaẽ, quod tenebræ illi ſuſpectæ terrorem incutiant. Contra lux uſque adeo eſt iucunda & amabilis, ut nihil eorũ quæ natura uoluptatem adferunt, abſq; luce cupiat in tenebris, uerum ea uoluptatem omnem, omne ſtudium quacũq; re frui uelis, ceu nouum condimẽtum admixtum, exhilarat, & edulcat humanitate. At qui hominem coniicit in ignorationem, & obſcuritaté, ac tenebris obtegit, uitamq; quaſi ſepelit, is uidetur hoc ipſum grauiter ferre, q; naſcimur, & eo reuocare nos, ut non ſimus. Et tamen aiunt gloriæ eſſentiæq; locum ſedem eſſe piorum, quibus ſplendet ſolis uigor, deinde noctẽ inferne in pratis roſeo colore

purpurantibus,quibus intonsa uernant omnia,& proce rarum arborum floribus amoenus conuestitur campus, tum amnes quidā fletus ignaui, ac lenes eum perfluūt, ipsi transigunt iucunde tempus colloquiis,& cōmemo ratione rerum præteritarum ac p̄sentiū,accersentes sese mutuo,& inter se consuetudinem uitæ agitantes. Porro tertia uia eorum est,qui impie uixerūt & iniuste,animas in obscurum locum & barathrum quoddam præcipi-tans,unde immensas ructant tenebras, languida noctis obscuræ flumina, quæ recipiunt, & ignoratione atq; obliuione tegunt eos qui puniuntur. Neq; enim uultu-res semper arrodunt epar fontium in terra iacentium. Nam aut exustum est,aut cōputruit. Neq; grauiū quo-rundam onerum gestatio affligit, cōficitq; corpus eo-rum qui puniunt. Neq; enim iam carnes,aut ossa cohæ rent neruis. Nullæ sunt corporis reliquiæ corporū uita defunctis,cruciatuum eorum capaces, qui speciem sibi respondentē requirunt. Sed una p̄fecto ratio puniendi eos qui male uixerūt, nempe obscuritas & ignoratio,& modis omnibus abolitio,tollens in tristem amnem,eq; lethe, idest obliuione præcipitans in abyssum,ac uastū pelagus, uidelicet ignauiam & otium, quod suo fluctu ignorationem & obscuritatem secum trahit.

FINIS.